

Sycophantarum impudentissima, DEum secundum voluntatem antecedentem non intendere conversionem omnium, nec intendisse ipsorum induratorum, nos unquam in dubium vocasse.

Sed excipit p. 26. Niehenckius ex nostra sententia: *Multis hominibus actu verbum Dei non predicari*: Hinc Sophisticari pergit: *Multis actu verbum Dei non predicatur*. Ergo DEus nullo modo vult, ut ipsis verbum predicetur. Spuria hæc est consequentia, nisi ita formetur: *Multis non predicatur Evangelium actu, ergo DEus ut iudex voluntate consequente utiq; non vult, ut ipsis verbum predicetur*. Hoc docet *Formul. concord. artic. XI. p. 813*. Sicuti enim prædicatio Evangelii, ubi actu fit est voluntatis divinæ; ita ubi nunc non prædicatur actu, est voluntatis divinæ conf. *Scherzeri Syst. theol. p. m. 285*.

6] Iterum iustare vult Niehenckius p. 27.

*Quibuscumq; verbum DEI predicatur, in Regno gratiæ, illorum conversionem DEus intendit*.

*At qui multis Induratis &c:*

Ergo.

Resp. Concedo totum, si sermo sit de voluntate Dei antecedente: Nos vero controvertimus, de *totaliter induratis, qui sunt immedicabiles & insanabiles*, qui voluntate Dei consequente judiciaria a DEo jam deserti sunt. His verbum Evangelii non amplius predicari debet, quod vero quandoq; predicetur, fit ex ignorantia prædicantis ministri, non ex intentione Dei ita *D. Hanneckenius* in *Meditat: Carol. p. 38. 78. docet*. De loco *1 Pet. III. 19.* omnino placet mihi *Scherzeri* commentatio allegata p. 27. Et licet verum sit, quod monet Niehenckius, variate subjecta in loco *Petrino*, & subjecta quaestioni nostræ, tamen id exinde patet, dari etiam conciones verbi non semper ad salutem, h. e. Evangelii, sed & ad damnationem. Inde inter nos quaestio manet. An conciones verbi ad damnationem, pro solis damnatis? an vero etiam possint esse pro viatoribus, propter indurationem totalem in statu gehennali existentibus, de quibus disputamus?

R. Quod sic quoad posterius. Ratio; Quia hi ipsi jam hic sunt in *statu gehennali*, testante *D. Hanneckenio* l. c. quia eorum hominum conditio est, non alia, quam *Epulonis NB. extra omnem veniæ spem positi*, ap. *Hülsemann. ad Jerem. pag. 271.* Pergimus B.] ad ἀναστροφήν sub Art. II. p. 57. seqq. Quoad peccatores in Spiritum S. quorum inconvertibilitas:

C. 3

Juxta: